Finnur Jònsson.

SACRIS ET SOLENNIBUS HONORUM INCREMENTIS.

VIRI

Eminentiſſimi & plurimum Venerandi,

DN. FINNI JONÆI,

Eccleſiæ Reicholtenſis in Patria hactenus Paſtoris,
nec non Vicinarum Præpoſiti
Vigilantiſſimi
Diſtrictûs Schalholtenſis Officialis
Meritis undiqve Spectatiſſimi,

Nunc Vero

Adſpirante Summi Numinis providentia & benignô Regis
Potentiſſimi juſſu Diæceſeos Schalholtinæ, qvæ in Auſtrali eſt Islandia,
Epiſcopi, in Ædê qvæ Havniæ eſt, Virgini Sacra, ad
D. 7 Calend. Maj, Splendiſſimo Eccleſiæ ritu
& Celebritate Inaugurati.

Imprimatur
J. P. Anchersen, Dr.

Favitori & Patroni qvovis officii
genere Colendi
Intimâ gratulione applaudit

J. Snorronius, Isl.

HAFNIÆ,
Typis Hæredum Berlingianorum Excudebat *Ludolph. Henr. Lillie.*

Ergo iterum triſtis miteſcunt ſidera brumæ,
Et pandit virides ver geniale ſinus.
Svave melos Progne tignis modulatur ab altis,
Argutumqve iterat Daulia Carmen ales.
Hic violæ roſeâ ſuccreſcunt fronde viretis
Ambroſiôqve virens germine vernat humus.
Illic Flora novô depingit prata Colore
Herbifer & vivô ceſpite ridet ager.
Dum revocare vices, gaudet natura recentes,
Fas eſt? Threiciam ſollicitare Lyram.
Ergo tuos Thymbræe lares Tripodaſqve creparem?
Anne ego Pierii Numina ficta jugi?
Hæc mihi non mens eſt, rapitur namqve igne Camœna
Majore, & graviôr Spiritus intus agit.
Præmia dum titulosqve novos Sanctiſſima Virtus
Cultori meritô diribet ipſa ſuo,
Qvæ ſcripta in foliis Fatorum & cortice ſacrô
Neglectos ſemper non ſinit eſſe pios.
Fallor? An hæc cauſa eſt, gelidis cur vectus ab oris
Præſul, Magnanimis connumerande Viris.
Nonne Codanoniis ideo Te ſiſtis in arvis,
Sic qvia te Virtus enituiſſe facit?
Sic mandat, ſic eſſe jubet, Suprema poteſtas,
Ut capias Solymæ ſceptra tenenda manû.
Sic vicina Polô gens, expetit, optat, anhelat,
Ut ſis, qvi tenerum paſcat ovile Dei.
Tu Patriæ, in paucis ſolus dêprênſus Achilles,
Et par difficili munere rite frui.

Hinc

Hinc festiva Dies, hinc gaudia magna Theatris,
Ocior, Havniacis, fulmine, turba viis;
Ædes dum sacrata Deo, modulamine læto
Personat, atqve adytis Cælica Musa crepat.
Cujus dum Facies solitô fulgentior Ostro
Ad solenne suum Nomina Magna citat.
Te petit altus honos, ingens vitæqve palæstra,
Sacra Chlamysqve humeros, Sacra Tiara Caput.
Auspicio Divum tantô sublimis honore,
Ne fugias, ad qvod rite repertus, opus.
Non magis ambitio vel clari nominis ardor
Impulit, ut cuperes, Præsulis esse locô,
Qvam qvondam Amramidem, dum summô â Numine jussus,
Isacidum gentis se abnuit esse ducem.
Hoc sed Divinus Fatorum pertulit ordo,
Heic qvoniam dignô vertice mitra sedet:
Mitra, decent qvæ Te, Præsul, bene consita gemmis,
Qvasqve Dei Mystam pagina sacra jubet.
Divinos ideo, Tibi dum gratantur honores
Agmina mille; Tuis laudibus ire Comes.
Nostra Thalia studet; nec fas tacuisse Camænis
Te, qvi Palladii lausqve decusqve Chori.
Ecce! stolâ lituoqve sacer, procedit ab aris,
Miles signa Dei fortis & arma gerit.
En tam conspicuis, Præsul, cataphractus in armis
Possidet & præfert, qvâ licet, ore Deum
Hunc debent censere diem meliore lapillô
Omnes, qveîs superest ardor amorqve boni.
Plaudite qvisqvis ades, Comites vos jungite Musis,
Qvæ socias poscunt ex Helicone Deas.
Dania verba praei Patriæ, vocibusqve seqvetur
Illa, licet gelidô sudet adusta pôlo.
Tu toties deserta domus Schalholtia gaude
Terqve qvaterqve novo Præsule; tolle Caput.
Ille tibi viduæ qvondam Protector & Auctor,
Qvalis Te decuit, talis & ille fuit.
Pone igitur crebrô renovatos syrmate luctus,
Et sine diffusis exululare comis.
Sint amissi oculis SVENONIUS & VIDALINUS
Temporibus priscis lumina chara tibi,
Qvos, non una, Viros, Pallas sacravit honore,
Laudibus & qvorum finxit ad astra viam
Singula sint illis insignia: Qvantus at hicce?
Qvem simul illustrant, SVADA, MINERVA, CHARIS.

Cui

Cui ſunt egregiæ generoſâ mente repôſtæ;
    Virtutes, pietas, Candor & alma fides.
Vita refert mores, qveis forſan Porcius ipſe
    Cederet, & gravitas, plurima fronte ſedet.
Suſpice tale Tibi conceſſum ex æthere munus,
    Munere qvô felix Tu potiare diu.
Huncce Patrem, Dominumqve colant, venerentur adorent,
    Læta ſuæ ſortis, Pulpita, Templa, Scholæ.
O! Decus, o pretium noſtræ inviolabile terræ
    Præſul, pergelidi rara medulla ſoli.
Longa Tibi creſcat felixqve in honoribus ætas,
    Elogio meritis conveniente Tuis.
Tu ſeqvior nullo vigeas Antiſtite priſco
    Vilior haut Cujus fama decuſqve manet
Te Duce in immenſum plantata Eccleſia Chriſto,
    Floreat, â nullis obſtupefacta malis.
Sic Tua Te pietas animet ſic enthea Virtus
    Lucida Chriſticolis ut Cynoſura ſies;
Adqve Tuum tumulum recinant poſt fata Nepotes
    Non unâ, meritum, Pallade, laudis epos:

FINNUS, Dux Populi, præſignis adorea Muſis
    Fax Clero, & columen grande Sionis erat.